

Q. B. V.
**CVLTVM. DEI.
RATIONALEM.**

EX. ROM. XII. 1.

SUCCINCTE.

**DESCRIPTVM.
SVB.**

MODERAMINE.

ILLVSTRIS. ac. REVERENDISSIMI.

IN. CHRISTO. PATRIS.

**DN. D. IO. FRIDERICI.
MAYERI.**

**CONSILIARI. REGII. PROFESSORIS. PVBL.
PRIMARI. ORDINIS. THEOLOGORVM.
SENIORIS. ET. DECANI. RELIQUA.**

DEFENDENT.

**M. IACOBVS. STAALKOPFF.
S. TH. B.**

AC.

CHRISTIANVS. HINTZIVS.

NEO-BRANDENBURGO - MEGAPOLITANVS.

S. THEOL. CULTOR.

AD. DIEM. FEBR. MDCCXI.

GRYPHISWALDIAE.

TYPIS. DANIELIS. BENIAMINIS. STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.

222

a. LXXIV. 34.

Coll. diss. A
74, 34

*VIRO Maxime Reuerendo, Amplissimo
atque Excellentissimo,
DN. IOANNI CHRISTOPHORO
CRAMERO,*

S. Theol. Doctori celeberrimo, Templi Iacobaei apud
Sedinenses Pastori uigilantissimo & Scholae Senatoriae
Ephoro longe grauissimo ,

*Dominio Patrono ac Promotori,
ea, quapar est, obseruantia semper colendo.*

vt. et.

*VIRIS Perquam - Reuerendis, Clarissimis
& Eruditissimis ,*

DN. NICOLAO BVLTHENIO,

Verbi diuini Ministro Trantouiensi meritissimo ;

DN. AVGVSTIN. BALTHASARI,

Pastori Gristouiensium uigilantissimo ;

DN. PHILIPPO VOELTZIO,

Antistiti Horstensi dexterrimo ;

DN. HENRICO BVNGIO,

Pastori Neo-Kirchensium indies bene merenti ;

*Dominis Fautoribus & Amicis
colendissimis ,*

POSITIONES HASCE THEOLOGICAS

*mente deuota sacras
esse iubet*

CHRISTIANVS HINTZIVS,

S. Theol. Cultor.





IESV. SECUNDANTE.

I.



Voties auream plane ad

Romanos a Diuo Gentium Doctore
PAVLLO missam aliquanto curatius
considero epistolam; toties non pos-
sum non eandem adtonitus mirari.
Neq; id praeter rationem, cum cuncta

ferme ad diuinioris disciplinae corpus pertinentia, bre-
uitate mira eadem sit complexus. Siue enim credenda
desideres, largissimam illorum segetem suppeditabunt
priora undecim capita. Siue agenda requiras, uber-
rimam istorum messem, in reliquis quinque inuenies
sectionibus. Capitis quippe duodecimi summa mihi
quidem huc potissimum redire uidetur: officium
hominum, ui iustitiae Seruatoris uera fide applicatae,
cum supremo Numinе reconciliatorum, hoc in primis
postulare, ut pietatem erga DEVМ & integerrimum
aduersus proximum amorem, etsi iste pestilentissimo
in eos grassetur odio, quo quis tempore declarare haut
intermittant.

A 2

II. Ver-

II.

Versiculus primus ex uersione THEODORI BEZAE sequentis est tenoris : *Abhortor igitur uos, fratres, per miserationes DEI, ut sistatis corpora nostra hostiam uiuam, sanctam, placentem DEO, rationalem illum cultum uestrum.* In fonte graeco autem ita habet : Παρακαλῶ γν οὐμας, ἀδελφοί, δια τῶν οἰκλιγμῶν τὸ Θεόν, παρασηταὶ τὰ σώματα οὐμῶν θυσίαν λάσταν, ἄγιαν εὐάρεστον τῷ Θεῷ, τὴν λογικὴν λαζεῖαν οὐμῶν. Profecto merentur, quae iam audiūimus uerba adtentiorem paullo inuestigationem, cuius tamen prima saltem uti uocantur elementa, in praesenti dare constitui, uberiorem illius expositionem, commodiori reseruaturus occasio[ni]. Ne uero & in rudimentis hisce a recto ueritatis tramite aberrem, supremum Numen supplex ueneror, sanctifica nos sancte Pater in ueritate tua, uerbum illud tuum ueritas est.

III.

Insignem prorsus cultus externi, quo Conditorem potentissimum, prosequi tenetur creatura rationalis, partem sacrificia facere, quem quaeso uel ulla ratione fugere potest ? Hae ipsae autem uenerationis religiosae Numini benignissimo debitae significationes, opere quodam externo factae, duplicitis potissimum generis constitui possunt, ita ut aliae ad propriarum classem spectent, aliae uicissim improprie sic dictarum nomen mereantur. Sacrificia κυρίως accepta iterum uel ad antiquam dispositionem, federis, post Protoplastorum miserrimam plane ab illo huius uniuersitatis parente defectionem, cum lapso genere humano a DEO initi, spectant,

(5)(20)

spectant, aut ad nouam, quae ueniente mundi Sospitatore cepit Διαθήκη, pertinent.

IV.

Prioris generis typi fuerunt atque umbrae **CHRISTVM** cum cunctis eius beneficiis repraesentantes, ac adeo ad praesentiam corporis & Antitypi euangelizare debuerunt. Posterioris generis Sacrificium catholicus mundi Redemptor est, ceu cuilibet notum satis & perspectum pariter probe est. Λαζαρός autem spectata sacrificia in promptissimo bonorum operum studio posita esse quis nescit? Eiusmodi uictimas PAVLLVS non solum a Romanis, uerum omnibus in uniuersum quoque Christianis ardenter expetit. Nam quae ante scripta sunt, ad nostram doctrinam ante scripta sunt, *Rom. XV. 4.*

V.

Idcirco inquit: παρακαλῶ γε, ὑμᾶς, ἀδελφοῖ, διὰ τῶν εἰχθύμων τῆς Θεοῦ. Apostolus per immensam ac infinitam plane clementissimi rerum omnium moderatoris misericordiam, qua homines in **CHRISTO** benignissime admodum complexus est, obtestatur eosdem, ad cereberrimas pietatis suae dandas significationes, Neque ad uniformem tantum aut simplicem DEI misericordiam; sed ad miserationes potius prouocat, atque adeo profundissimam misericordiarum abyssum Patris coelestis praedicat. Profecto tanta est Beatissimi Numinis erga miseros mortales benevolentia, ut eandem mens humana prorsus non capiat. Adeo prolixia eius clementia, quam ne coelestium quidem geniorum linguae, uel aliqua saltem ex parte edisserere ualent.

A 3

VI. Dictu-

VI.

Dicitur hac uice non sum de creatione, quae sola uel inuitos homines, ad cultum conditori sapientissimo ea qua fas est pietate praestandum, abripere deberet, neque de cruenta redemtione uerba faciam, cuius intuitu, deuotissimam creatura rationalis Seruatori suo debet submissionem, tantum gratiae plena sancti Flaminis, meritorum purissimo CHRISTI sanguine partorum applicatio, pie erit meditanda. Bone DEVS! Oceanum saluberrimarum Numinis miserationum in eadem conspicere licet. Sanctissimus quippe Spiritus hicce uocat mortales in communionem filii DEI, *i. Cor. I. 9.* & e tenebris in admirabilem lucem suam, *i. Petr. II. 9.* nec non oculos mentis illuminatos iisdem donat, *Eph. I. 18.* uoluntatem eorum prorsus depravatam a spirituali morte suscitat, cor lapideum confringit, *Ezech. XXXVI. 26.* fractum sanat, *Ez. LXI. 1.* CHRISTVM ostendit, fidemque in regeneratione largitur. Quae deinceps Saluatorem apprehendens, plenissimam a reatu peccatorum absolutiōnem credenti conciliat, atque totam Trinitatem, ut mansionem in corde eius, tanquam sanguine Seruatoris purgato faciat sanctuario, blandissime inuitat.

VII.

Haecce talia suis in memoriam reuocat PAVLLVS, & propter congeriem uarii generis miserationum, eos hortatur, ut sancto huic Spiritui, habitationem suam deinde magis magisq; purganti & sanctificanti morem gerant, seque Conditori, Redemptori & Sanctificatori suo in victimam offerant tradantq; grauissime illos
admo-

. 4.

admonet.. Grati hominis est , benefactori suo , si aliud non suppetat deuoti animi argumentum , semet ipsum eidem consecrare.. Idem postulat officium uenerandus Gentium Doctor.. Eo ipso autem , dum corporis in textu mentionem facit , nullatenus mentem seiunctam esse cupit , quin potius corporis uocabulo synecdochica loquendi ratione totum innuit hominem , quemadmodum sexto prioris ad Corinthios epistolae capite uers. 19. corpus fidelium , Flaminis sancti templum uocans , capite sexto posteriorum ad eosdem litterarum comitate decimo sexto de tota id ipsum persona exponit..

VIII.

Tota itaque piorum persona debet esse *θυσία ζῶσας* , ceu istud hoc loco requirit a DĒO doctus Gentium Doctor.. Id nempe uolebat , Iudeos legum ceremonialium tum temporis iam abrogatarum , ac tantum non honeste sepultarum , praeter rationem seruantissimos tenacissimosque , Numinis offerre *θυσίας θυντὰς* , occisa scilicet brutarum animantium corpora , quae ipsi nulla prorsus ratione placere queant , idcirco Christianorum officium esse , meliora ac gratiora benignissimo isti huius uniuersitatis Parenti consecrare sacrificia.. Eiusmodi illa esse debere monet , quae *λογικὴν λαζεῖαν* arguunt.. Sane quisquis mera brutorum immolatione Numen colere meditatur , atque tali modo citra mandatum DEI , aut solis etiam eiusmodi sacrificiis , exclusa fide merito agni portantis peccata mundi firmissime innixa , Conditorem rerum placare aut uenerari conatur , istius cultus non potest non irrationalis optimo iure adpellari.

IX. Quae

IX.

Quae enim inter spirituum omnium Patrem & consecrationem rei cuiusdam materialis, inter Numen purissimum & combustionem carnis, foetorem haut exiguum excitantem, inter Ens benignissimum, & effusionem aut sparsionem sanguinis, nescio quid crudelitatis spirantem, concipi potest similitudo aut harmonia? Certe extra salutarem ad clementissimum GOELEM nostrum respectum, talia sacrificia Numini immortali sunt abominationi, unde pariter eadem ad cultum naturalem spectare constanter nego, quidquid etiam ex recentioribus regerat PETRVS CHAVVIVNS. Verus proinde Christianismus, cultum DEI rationalem postulat, & a uera religione non differt, utpote quae rectum de Numinе sensum & sincerum eiusdem cultum inuoluic. Detestatur autem Rationalismum ceu pestem Christianorum, quoniam ille mysteria labefactat, fidemque prorsus euertit. His uero sublatis Christiana religio amplius salua esse nequit.

X.

Evidem ratio ipsa cum insigne DEI donum sit, uilipendenda cum Fanaticis non est, neque tamen illam Reuelationi, cum Rationalistis, quorum magnam satis copiam praesens fert aetas, licet anteponere. Pugnauit quoque inter utramque comminisci impium esset ac nefarium, etsi disparis admodum sint conditionis ac habitudinis. Hinc uarii de redigendis in concordiam ratione & fide laborarunt, quas inter nonnulli malefanorum discordiam ferere perperam & irrito plane

plane conatu sunt moliti , quamuis non omnes de felici aequo successu sibi queant gratulari. Spectat huc PETRVS DANIEL HVETIVS eminentissimus Gallorum Episcopus , propter editas Cadomi Anno 1690. 4. Quaestiones Alnetanas , de Concordia rationis & fidei tribus comprehensas libris , quas Lipsiae Anno 1692. in quarta itidem forma recudi curauit Vir celeberrimus FRIDERICVS BENEDICTVS CARPZOVIVS. STOSCHIVS pariter concordiam rationis & fidei ita scripsit , ut corruptae rationis ignes fatuos undiquaque secutus , fidem prorsus euerterit . Neque id mirum alicui debet uideri , quoniam SPINOZAE sectatorem quaelibet commentationis istius pagina ostendit , adeo ut cum dulcissimo Seruatore nostro quaerere liceat : Num colliguntur ex spinis uuae , aut ex tribulis ficus ? *Matth. VII. 16.*

XI.

Rectius suo funetus est munere ISAACVS IAQVELOTVS , Minister Reformatus primum Hagienfis , deinceps Berolinensis , Vir editis aduersus Atheos , Spinoistas & Iudeos scriptioribus eruditis inclytus , dum gallico idiomate conformitatem rationis & fidei edidit . Idem iudicium saltem , si non honorificentius ferendum esse arbitror de Autore (qui nisi totus fallor , celeberrimus Theologus VALENTINVS ERNSTVS LOESCHERVS est) emendarum cogitationum , de Concordia rationis & fidei in Recensionibus Antiquo - nouis Theologicis Anni 1707. p. 65. seqq. reperiundarum . Hae siquidem omne punctum ferre uidentur , usque adeo sollicite profecto totum quidquid huius rei est negotium expediunt .

B

XII. Reli-

XII.

Religio itaque Christiana, si dicendum quod res est, rationalis certo respectu uocari potest, quia rationi sanae suis se continent finibus non tantum non contrariatur, uerum etiam ab eadem, quod sane momentum trahit non exiguum, enixe admodum suadetur & haut una ratione commendatur. Inde tamen neutquam sequitur, rationem posse mysteria speciалиori quodam modo a Numine reuelata, uel tradere, uel capere, aut illam salutari debere siue principium, siue credendorum normam, ita ut haec eius iudicio sint submittenda. Multum enim ista opinio habet periculi, id quod exemplo Reformatorum peculiari eademque summa cum firmitate, & stabilium rationum pondere conscripta Dissertatione euicit, REVERENDISSIMVS noster in CHRISTO PARENTS, VIR ILLVSTRIS, IO. FRIDERICVS MAYERVS, Patronus, Praeceptor & Mecaenas sanctissime semper colendus.

XIII.

Male propterea idque merito suo audiunt Sociniani non solum, immo etiam Reformati, ceu adpellari gestiunt, CALVINI nomen tanquam indecorum ualde repudiantes, quorum scholae his passim personant doctrinis: rationis arbitrio cuncta esse submittenda, illiusque esse, reuelationem ex suis explicare principiis. Ex Socinianorum impurissima & scelestissima longe caterua in primis id agit ANDREAS VVISSOVVATIVS, Fausti Socini ex filia Agnete nepos, in nasuto admodum libello, qui Religio Rationalis, seu de rationis iudicio, in controuersiis etiam Theologicas,

cis, ac religiosis adhibendo tractatus, inscribitur. Neque aliud quidquam uult ex Socinianis, quos Anglia, haeresium ista quarumcunque feracissima tellus genuit, IOANNES TOLANDVS, in pestilentissimo prorsus libro, quem de Christianismo mystrii experte elaborauit ille. Ignis idcirco non tantum iussu Parliamenti Hiberniam moderantis, impietatem scriptionis istius ultus est, uerum etiam NORRISIVS, EDVVARDVS & BROVVNIVS aduersus eandem calamum strinxerunt. Doctrina ceteroquin elegans satis ipsi nequit abiudicari, utpote quam testantur uaria ingenii monumenta, cum eruditio orbe communicata. Anno quippe 1699. Londini in 8. anglico edidit idiomate uitam IO. MILTONI, Parricidii, quo Anglorum gens haut leuem, sibi propter Regem CAROLVM I. Anno 1649. die 30. Ianuarii securi percussum, inussit labem, aduersus CLAVDIVM SALMASIVM defensoris satis ingeniosi. Confutabat hanc Anonymus quidam, quare Tolandus alia scriptione sub titulo Amyntoris typis excusa, eidem respondit. Postea etiam SAMVEL CLARKIVS, Scriptor Anglus & uel ex solo certamine cum HENRICO DODVVELLO famam naestus, nonnullas in Amyntorem concinnauit Animaduersiones.

XIV.

Tolandus quoque Anno 1700. Londini in folio edi curauit IACOBI HARRINGTONI Opera, ac uitam eiusdem praefixit, & simul quoque historiam Socratis promisit. Anno 1704. anglice contexuit epistolas ad Serenam, quibus eodem anno epistola ad Eusebiam opposita esse dicitur. 1706. germanice

B 2

in 8.

in 8. prodiit eius de aulis Prussica & Hannouerana
relatio. Neque minus illius opera debemus, Adei-
sidaemonem siue Titum Liuum a superstitione uin-
dicatum, cum adnexis Originibus Iudaicis. Quae
eius opuscula, IACOBVM GRONOVIVM & IACO-
BVM FAYVM aduersarios sunt experta. Nouis-
sima uero quantum mihi quidem constat, ex illius
commentationibus est, Gallus Aretalogus, odium
Orbis & ludibrium. Prodiit illa Amstelodami Anno
1709. 8. una cum Matthaei Cardinalis Sedunensis
Oratione Philippica, ad excitandos contra Galliam
Britannos, quam noster publica luce, Diatriba praeli-
minari & Adnotationibus donauit.

XV.

Ad Reformatos ut pergam, quem quaeso NICOLAVS VEDELIVS a IO: MVSEO egregie confuta-
tus latere potest? Adeo notum omnibus eius Ratio-
nale Theologicū est, ut cuius Rationalismum a Refor-
matis defensum obiter saltem perpendenti, uel sponte
sua obuersetur. LVDOVICVS MEIERVS, Autor
Exercitationis paradoxae, de Philosophia Scripturae
interprete, clare satis quid sentiret, aperuit, ita ut
abusus rationis in rebus fidei, singulis sistatur paginis.
Laudem uero meretur GERARDVS de VRIES,
rectius de officio Philosophi circa reuelata, peculiari
Dissertatione docens. Ex aduersa autem parte, ani-
maduersione dignus esse uidetur, eius in concertatione
de ideis innatis aduersarius, HERMANNVS ALE-
XANDER ROELL, Ecclesiastes primum Dauentri-
ensis, deinde Philosophiae & Theologiae in Academia
Frisiorum Franekerana Professor, iam uero diuinioris
discipli-

disciplinae Traiecti ad Rhenum Doctor publicus. Edidit quippe is Anno 1686. Franequerae in forma folii Orationem de Religione Rationali, die XV. Kalendarum Iunii, eiusdem anni, ibidem auspicii caussa dictam, in qua nonnunquam a recto ueritatis tramite deflexisse uidetur. Studium eius rationi nimium quantum tribuendi, clarissime omnium ex certaminibus Rationalisticis, magno animorum motu in Belgio gestis, materiam litis suggestente, & contentioni occasionem suppeditante **GISBERTO VVESSELIO DVKERO**, elucescit, quoniam una cum **VVAEYENO**, aduersus **VLRICVM HVBERVM** eiusque complices, sententiae Dukeriana patrocinium in se suscepit. Idem praestare adlaborauit duabus Dissertationibus Philosophicis, de Theologia naturali inscriptis, quarum altera eius dignitatem, utilitatem & necessitatem praedicauit, altera uero breuem illius conspectum exhibuit. **PETRVS quoque CHAVVINVVS**, cum **STEPHANO**, celebri isto Thesauri Rationalis Scriptore, haut permiscendus, huc pertinet, propter communicatum cum orbe erudito de Religione Naturali librum, a **VRIGNIO**, **VVINCKLERO**, **BVDDEO**, aliis, confutatum.

XVI.

Eruditissimus & acutissimus Vir **IOANNES LOCKIVS** suo quasi quodam iure hic est commemorandus, in primis propter editionem libri sequentis inscriptionis : *The Reasonableness of Christianity* Anno 1695. typis excusi, & a **JOANNÉ CLERICÓ** 1696. gallice translati. Plus iusto enim tribuit rationi, & saepi⁹ quadrata miscet rotundis. **IO. EDVVARDVS**

B 3

Theo-

Theologus Anglorum doctissimus acriter illum impugnauit. Lockius autem scripto suo, singulari Apologia 1696. concinnata adfuit, & cum EDVVARDVS uindicias reponeret, denuo LOCKIVS 1697. libelli quem scripserat, adornauit defensionem. Iunctim deinceps scriptiones hasce amoebaeas, Amstelodami Anno 1703. in 8. gallico uestitas idiomate edidit doctissimus Clericus. Praeterea quoque BOLDIVS Minister Anglicanus, duobus 1697. impressis libris, patrocinium scripti Lockiani in se suscepit.

XVII.

IOANNEM CLERICVM ex Arminianorum coetu, impense a Lockio olim amatum, eidem haut prater rem socium sum datus, qui & ipse certamen amoris cum Lockio iniit. Luculentissimas pariter quo illum complectebatur feruentissimi affectus significationes dedit, dum uitam eius eleganter gallice exposuit, nonnulla operum istius in gallicanum transtulit idioma, & ut paucis multa dicam, Lockium ceu eximum prorsus Philosophum, in Inscriptione Logices suae illi facta, est ueneratus. Hic autem quem nominaui CLERICVS, specimina Rationalismi mentem ipsius corruptentis, tum alibi tum in primis in Epistolis Theologicis, sub LIBERII a SANCTO AMORE persona latere cupiens, dedit clarissima. Hinc anno nuper praeterlapso, ut uetera & paullo remotiora iam taceam tempora, PHILIPPVS MESNARDVS peculiari scriptione, gallica ueste induita, Socinianismi dicam ipsi scripsit, quam tamen inuidiae plenam imputationem, noster T. xviii. Bibliothecae Selectae amoliri, summo cum studio est molitus. Durior hac est appellatio Spinozistae, qua CAROL-

CAROLLIVS, Clericum in opusculo, Spinoza reuiud' inscripto, insigniuit, quemadmodum ephemerides litterariae testantur.

XVIII.

Ceteros non attingo; quosdam saltem coryphaeorum breuissimis lustrasse contentus, quorum nullus, iure praesidium suae quam fouet sententiae, in loco Pauliso potest inuenire, ceu ex superioribus constat. Quare istam miserorum-mortalium plus iusto ferocientem audaciam, non possum satis mirari, qua inducti, quamuis in crassissima sui uerientur ignoratione, nihilo tamen secius mysteria sanctioris Numen colendi rationis, debilem humanae mentis aciem longissime superantia, exiguo rationis suae modulo metiri, non erubescunt. Mearum potius existimo esse partium, in pia unice fidei simplicitate adquiescere, ac rationem sub obsequium fidei redigere.

S. D. G.

AD.

DOCTISSIMVM. DN. RESPONDENTEM.

ADLOCVTIO.

PRAESIDIS.

*C*ognitionem sui ipsius adeo impense a CHILO NE commendatam, GERARDVS IOANNES VOSSIVS, CHAR RONVS, DIODORVS TULDENVS, ARNOLDVS GEVLINGIVS, BERNARDVS LAMIVS, IACOBVS ABBA DIKS, alii, peculiaribus illustrarunt scriptioribus. Neutquam uero illa uanam hominum ambitionem, aut ineptam prorsus illo rum

rum superbiam alere ; sed potius mentes mortaliū ad man-
fuctudinem morum suauiter inflectere debet. Modestia quippe
in primis rationalem decet creaturam & praeterea singulare ad-
modum eruditus est ornamentum, cum castam Musarum indolem
nil magis foedet, quam impurissima longe fastus contrectatio.
In Theologorum praeccipue castris militantibus, insignem ualde
conciliat laudem, a GISBERTO VOELIO & Cardinali de CVSA
pauculo diligentius excussa ignoratio quam vocant docta, quoniam
hi ex diuinae reuelationis iussione, ultra id quod scriptum est,
sapere non debent. Propria iis sit, necesse est, modestia cen-
audire solet Theologica, HERMANNO VITISIO laudibus eius inter
Reformatos omnium maxime florenti sacrarum litterarum In-
terpreti, praedicata, peculiari de Theologo modesto inscripta Ora-
tione. Quam ob rem CLARISSIME HINTZI, TVAM quoque in
excolenda diuiniori disciplina modestiam, non sine ratione, praes-
enti hac de CVLIV DEI RATIONALI Dissertatione, omnium
oculis exponere uoluisti, dum rationem se alioquin efferre cupi-
entem, in scrutandis Christianae Religionis mysteriis, intra debitos
modestiae limites coercendam esse, arbitraris. Sane displicere
haut poterit, praedicatione dignum hocce institutum iis, quibus
TVA probari desideras studia. Id circo, ut inde amplissimi in
TE redundant fructus, est, quod tota eademque candidissima
precor mente. NVMEN BEATISSIMVM TIBI cuncta bene
iubeat euenire, quo mihi de felicitate TVA, quantum huius uitae
conditio patitur consummata, semper gaudendi, quamprimum
occasio suppetat. Ita uale FAVOR HONORATISSIME, mihiique
fauere noli cessare.



Coll. diss. A. 74, misc. 34